



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

Titulus XI. Paupertas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

Miscellanea.

Quem quotiescunque lego, videor mihi non verba audire, sed tonitrua. S. Hieron.

ron. ep. 50. ad Pammachium Divini salis grana vocat verba S. Pauli S. Chrysol. f. 120.

TITULUS. XI.

PAUPERTAS.

§. I.

Symbola, & Similitudines.

Ex Veteri.

Fecit rex Salomon thronum - qui habebat sex gradus. 3. Reg. 10. 18. 19. Ex auro puro fusiles sex gradus fecit ad regale solium conscendendum, teste Philone l. 1. de Monarchia. & non est factum tale opus in universis regnis. Solum speramus in celo sublime, delicijs plenum, stabile. Ad hoc tutissimè itur per argenteos, & aureos gradus; sed calcatos. Drexelius Ros. select. vir. p. 2. c. 9. §. 3.

Sicut lilium inter spinas. Cant. 2. 12. Sola illa anima lilij colorem habet, quæ, necessarijs tantum vitæ contenta, ad celestem pulchritudinem, candore animi, & corporis munditiâ, aspirat. Philo Carpath. hic.

Tempus putationis advenit. Cant. 2. 12. Religiones, vineæ Christi sunt, ab ipso per earum Fundatores plantatæ. Vites singuli Conventus, palmites singuli Religiosi: quos Christus D. speciali vocatione traxit, & putavit, ut plurimum fructum afferrent. Putatio autem prima facta, cum omnibus renuntiârunt, quæ possidebant. Et tunc in Novitiatu florescere incipiunt; cum magnò spiritus fervore novam vitam incipiunt, suavem sui spargentes odorem, & ingentis futuri fructus spem non modicam præbentes. de Ponte hic Exh. 23. §. 3. Cum cernis vitem, quæ sylvestere permittitur, minus aptam esse ad uvas producendas; doceris, hanc terrenarum rerum nimiam copiam impedimento esse; quò minus in Evangelica præcepta plenò gradu ingrediamur. Fid. Clarius l. 1. or. 56.

Pascentur agni juxta ordinem suum. II. 5. 17. Chald. pascentur sancti pauperes.

Lilium inter spinas. Lem. *Inter angusta angustior.* Vel. *Argent indecora decorem.* Picinelli.

Ex Novo, Patribus, & alijs.

Quis ex vobis volens turrim edificare &c. Luc. 14. 28. Adjungit doctrinam propriam Apostolis, hoc est, Discipulis perfectioris vitæ statum profitentibus, tribus parabolis. Prima de turri. Sumptus autem opportuni, ut ipsemet Dominus declaravit, sunt abrenuntiatio omnibus, quæ possidet. Secundâ parabolâ significatur regis nomine, similiter professu-

rus statum perfectioris vitæ; tanquam alijs seorsum bellum suscepturus. Bellum adversus alium regem est perfectior vita ad superandum Mundum, quantum ad licita communiter alijs: putâ habere agros, vacare humanis negotijs, & officijs; hominibus quidem licita, Apostolicæ autem perfectioni interdita. Debet hic similiter quieta mente recogitare, si affectu sui vires (per decem millia hominum significatæ) sufficiunt ad occurrendum Mundo venienti contra ipsum cum viginti millibus, cum dupla fortitudine. Et describitur Mundus duplicatâ potentia adversus profitentem vitam perfectiorem: quia & pugnat communi impugnatione, trahendo ad illicita communiter omnibus; & pugnat speciali impugnatione, trahendo ad interdita Apostolicæ vitæ. Si enim consideratâ proprii animi dispositione imparem se videt tanto prælio, sapienter prævenit, antequam bellum inchoet; rogat ea, quæ pacis sunt: hoc est, non aggreditur statum perfectioris vitæ, non vult bellum ad superandum licita communiter alijs; sed, velut pacem rogans, contentus est statu communis vitæ. &c. Cajetanus hic.

Luna sub pedibus ejus. Apoc. 12. 1. Signum paupertatis in luna sub pedibus significatur: luna enim temporalium instabilitatem significat. Et sicut à luna intemperies, & turbatio aeris; tonitruum & grandinis generatio, ducitur; ita & turbationis totius Mundi causa sunt temporalia. S. Bonaventura l. 4. in die Pent.

Quid paupertas? nisi quædam macies: & quid rerum abundantia? nisi pinguedo est vitæ presentis. S. Greg. mor. l. 12. c. 22.

Monachus, qui multa possidet, est velut navis oneraria, quæ in fluctuum tempestate facile submergitur. Monachus pauper est tanquam aquila in sublimi volans; quæ tunc ad escam se demittit, cum urget necessitas. S. Nilus or. 3. de avaritia.

Magnes inter gemmas positus ferrum trahens. Lem: *Pretiosa relinquit.* Picinelli.

Navis littus radens. Lem: *Altum alijs teneant.* Justus Lips. cent. 2. ep. 38. rara navis allisa est, quæ modicò velò legit littus. Picinelli.

Paupertas comparatur Angelis.

Beati pauperes. Matth. 5. 3. Audacter dixerim, paupertatem voluntariam aliquid simile habere

habere cum cœlestibus rationabilibus creaturis; eò quòd beata prædicatur in terris. Qui terrena concupiscere, neque possidere, noverunt, Angeli sunt terrestres. S. Bernardinus f. 2. de octo beatitud.

Nolite possidere aurum &c. Matth. 10. 9. S. Chrysof. hom. 33. in Matth. ipsos ad Universi magisterium missurus, ad Angelicam, ut ita dixerim, disciplinam ex humana vita traducit; ab omni cura rerum sæcularium liberos reddens.

Habebant omnia communia. Act. 2. 44. Hæc erat Angelica respublica, nihil dicere sibi proprium esse. S. Chrysof. hom. 7. hic.

§. II.

Paupertas præfertur opibus.

Ex Veteri.

Deditq, Dominus Moysi- duas tabulas Testimonij lapideas. Ex. 31. 18. Philo lib. de decalogo querit: cur non in civitate, sed in solitudine, Lex data sit? quia oportuit populum, antequam terram promissam caperent, lacte, & melle, manantem, ad cultum Dei informari. Tunc enim animus ad divina excipienda aptior est, cum egestate premitur: cum verò opibus affluit, divina addiscere vix potest. apud Pinna in Eccl. 5. Eth. 59.

Sit nomen Domini benedictum. Job. 1. 21. Job magis æstimasse videtur paupertatem, quam divitias. Nec legitur sic gratias egisse, cum divitias accepit; sicut cum amisit. Diez fer. 5. D. 3. Quadr.

Sedens in sterquilinio. Job. 2. 8. Facilius evolat quis in cœlum de tuguriò, quam de palatio: Adam in paradiso victus; Job in sterquilinio victor. Hugo Card. hic.

Occidit pingues eorum. Ps. 77. 31. Gaudeant ergo macilentæ pecudes, quia non occiduntur; sed pingues. Id. hic.

Trabe me post te, curremus. Cant. 1. 3. Antiquis Patribus ambulare fuit præscriptum; Apostolis verò, & Discipulis Christi, currere. Abraham dicitur Gen. 17. 1. *Ambula coram me.* Et Salomoni 3. Reg. 3. 14. *Si ambulaveris in vijs meis.* Et toti populo Deut. 8. 6. Zach. 3. 7. De Christi verò Discipulis? *trabe me &c.* Et Paulus de se 1. Cor. 9. 26. *ego sic curro &c.* & v. 24. *sic currite.* Nimirum Patres illi bonis terrenis abundabant; & ideo sarcinâ gravati, communi potius passu ambulare, quam currere, volebant. Incertò auctore.

Ex Novo.

Pauperes evangelizantur. Matth. 11. 5. hoc est, affertur illis bonum nuntium: & significatur per hoc differentia inter mundanum, & cœleste, regnum; inter mundana, & cœlestia, bona; inter communia bona nuntia mundana, & cœlestia, quantum ad ordinem: quia mundana bona communia annuntiantur magnatibus, & divitibus Mundi; ac deinde derivantur ad reliquos, & pauperes: cœlestia au-

tem bona, communia toti generi humano, annuntiantur pauperibus, piscatoribus, & alijs hujusmodi sequacibus Jesu; & per illos etiam derivantur ad alios, etiam Mundi principes. Cajetanus hic.

Si vis perfectus esse &c. Mat. 19. 21. Unde Christus non docebat, quomodo augetur Pecunia; sed quomodo servaretur inopia. S. Bonaventura hic.

Et omnes, qui audierunt, mirati sunt, & de his, qua dicta erant a pastoribus ad ipsos. Luc. 2. 18. At Magi magnò silentiò reversi sunt: quia prædicatio Evangelij pauperibus commissa. de Ponte in Cant. 1. 2. Exh. 25. §. 4.

Per totam noctem laborantes &c. Luc. 5. 5. Video vos, ait, cupidos piscium; qui non advertitis; majore damnò futuram copiam, quam inopiam piscationis. Fiat tamen, ut cupitis: *laxate retia vestra. Et cum hoc fecissent, conclusserunt piscium multitudinem copiosam.* Statim prædæ gaudium excepit timor jaetura: *rumpebatur autem rete eorum, & impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur.* S. Ambros. l. 4. in c. 5. Luc. mihi cumulus iste suspectus est, nè plenitudine sui naves pene mergantur. Ecce alia sollicitudo Petri, cui jam sua præda suspecta est. O quam verum est, res externas, ut juvant, si moderatae sint; ita multum nocent, si redundant. Oliva t. 3. conc. 9. die Ven. hebdom. Pass.

Factum est, ut moveretur mendicus. Luc. 16. 22. Quem modò beatum dicis? qui aquæ guttam aeternum sicut? aut qui brevi tempore micam panis petiit? &c. S. Chrysof. l. 121. en fratres, quam rerum lamentanda mutatio! pauperem portant Angeli, divitem deglutit Infernus. En fratres, mors pauperis totam vitam divitis vicit; & elatio sola pauperis totam divitis pompam transcendit, & gloriam. Naxera in Jos. 10. §. 52.

Ex Patribus, & alijs.

Longè melius est, pauperem, cum virtute, quam regem esse cum malitia. S. Chrysof. l. 4. in c. 1. ep. ad Rom. Paupererat Lazarus nomine: ubi ergo nomen divitis? nusquam quippe qui nomine careat. Quantæ divitiæ arbor folijs vernans; sed fructu destituta: quercus in altum protensa, quæ glandem brutis animalibus in cibum suppeditat. S. Chrysof. tom. 6. tr. in terræ motum.

Divitias simul, & paupertatem, tanquam materiam quandam, vel instrumenta à rerum opifice nobis proposita, & oblata, dicimus; homines verò, ceu fabros quosdam, per hæc, aut virtutis simulacrum effingere, aut malitiæ statuam exculpere. Caterum per divitias vix aliquis paucula quædam virtutis membra eleganter exculpet; multi verò paupertate adjuvi omnia simul fabricare possunt. B. Theodoretus de provid. Dei l. 6.

Satius est, humi cubantem vivere, & bono esse animò; quam perturbatum in aureo lecto. S. Nilus Cap. Paræn.

O bone Jeshu! Quamto beatiore facis pauperes tuos ipsa paupertate tua; quam Mundus facere possit quantalibet affluentia! ubi, quidquid affluit, defluit; sibi que inhaerentem pereffluere facit. Guarricus s. I. die Pent.

Pauci divites moriuntur, qui in exitu hujus vitae non desiderent fuisse pauperrimi. Petr. Bles. ep. 60.

Ad serviendum regi necessariae sunt vestes, sumptus, & divitiae: ad serviendum autem Deo sufficit paupertas. Minori ergo sumptu servitur Deo, quam Mundo. Stella de cont. &c. c. 94.

§. III.

Paupertas, tuta, leta.

Fecit ei Levi magnum convivium in domo sua. Luc. 5. 29. Ita Domino caeli, terraque, servitur: non tristes, sed alacres, & epulantes, dimittamus telonium: Deique scias servitorem festivum esse, cujus auspiciatur Matthaeus tyrocinium ab epulis. Nunquam forte Levi lautius cenavit, quam cum pecuniam abiecit. Avaros enim scimus aurum arcis; hordeum, & olera infundere solitos ventri: adeo ut, gemmas eructantibus promptuarijs, fabam interdum venter esuriat. Oliva l. 13. Strom. in Luc. 5.

Vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis non habentem ubi caput reclinaret Filium hominis, exultate, & dicite: quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium. Pl. 90. 3. S. Bernardus s. 3. sup. Pl. qui habitat.

Non audis, quid tritò proverbio dicitur? centum simul viros, unum pauperem, atque nudum, spoliare non posse: maximam enim paupertatis propugnacione defenditur; quem nullus rex, nullus imperator, vincere possit. Avaro autem universi facile possunt obesse: neque homines solum, verum etiam tinea, atque vermes, eum aggrediuntur. S. Chrysostr. hom. 84. in Matth. 26. ad Avarum.

Latrones ab eo quaerunt; quid faceres, si latrones ad te venirent? respondit: nudus latrones non timet. S. Hieron. ex vita S. Hilariionis.

Quid paupertate melius? quid securius? quid jucundius? tristenter omnes, cuncti gemant, formident universi: haec semper hilari, semper eodem vultu, eodem animo perseverat. S. Laur. Just. de paupertate c. 4.

§. IV.

Paupertatis immunitates.

Reddit. Matth. 22. 21. Illi Hebraei pueri Ananias, Azarias, Misael; ille Daniel sapienior, qui non adoraverunt imaginem regis; qui non receperunt eam; qui nihil de illa mensa regis accipiebant: non tenebantur ad solutionem tributi. Nihil enim eorum, quae sub rege terrento erant, possidebant. Ergo eorum imitatores non solvunt tributum, quibus portio Deus est. Ideo Dominus ait: *reddite*, id est, vos reddite, qui protulistis imaginem Caesaris, apud quos invenitur: ego autem nihil debeo Caesari, quia nihil hujus Mundi habeo. Venit e-

nim hujus Mundi princeps, & in me inveniet nihil - Ergo quod divinae legis est, solvi jubetur, non quod Caesaris - Ne scandalizarentur, inquit Matth. 17. 26. *vade ad mare, & mitte hamum &c.* S. Ambros. ep. 1. ad Julium.

Si vis non esse obnoxius Caesari, noli habere, quae Mundi sunt. Sed si habes divitias, obnoxius es Caesari. Si vis nihil regi debere terreno; relinque omnia, & sequere Christum. Id. de imagine denarii in Luc.

Videre licet, pauperes non facile insanabilibus morbis capi; sed eos passim in divitum corporibus provenire. Certè podagra, gravedines, dissolutiones nervorum, aut contractiones, delicatos illos magis infestant; eos, qui unguenta olent; non eos, qui laborant & exercentur, & quotidianam operam sibi victum comparant. S. Chrysostr. tom. 6. hom. 5. de Anna, seu quid sit festum.

Inopia bonae valetudinis mater est. B. Theodoretus s. 6. de prov. Dei.

§. V.

*Paupertatis honores, prerogative, laudes.**Ex Veteri.*

Exidit duas tabulas lapideas. Ex. 34. 4.

Potissent ex auro laminae duci, è cedro compingi, è gemmis parari tabulae, quibus praecepta insculperentur. At ijs opulentia tumisset; quasi pretio tabularum excipiendis characteribus mandatorum, divites, nobilesque, destinarentur. Sculpta verò in saxo lex, quò nihil aut rarius, aut sterilius, aptiores esse significat, & perscribentis, & perferendis vitae, numinisque praeceptis. Oliva sup. Evang. fer. 2 D. 4. Quadr.

Deorsum autem ad pedes &c. Ex. 39. 22. &c. Nemo, opinor, ambigit, sanctioris amenitatem vitae malogranatis, aureisque tintinabulis, designari: haec enim concentum caeli; illa verò gloriae delicias, repraesentant. Suspendebantur autem ea ad ora imas simbrias; quas nemo non videt quasi in caenum rejectas, & à gemmis Pontificis usque ad calceos ablegatas. Quae ergo pars tunicae putabatur abjectior, ea, praeter ceteris, comptior, ornatioque, & renidebat, & sonabat. Id. ibi!

Quoniam non cognovi literaturam. Pl. 70. 15. Hebr. quoniam non cognovi numerum. S. August. legit: quoniam non cognovi negotiationem.

Ex Novo.

Beati pauperes. Matth. 5. 3. Pauperes utilitatis divitum causa facti sunt: ut facta inter utrosque comparatione, facilius agnoscerent divites Dei erga se beneficentiam. Iisd. Car. l. 1. or. 11. Paupertas, & persecutio temporalis, sorores sunt; & eis claves regni caelorum, non tantum promissivè, sed possessivè, conceduntur. Hujusmodi autem ratio est: quia

Evangelium

Evangelica paupertas nihil habet, quod Mundi sit; temporalis autem persecutio potest totum Mundum ab homine auferre. Sed quia providentissimus Creator, & gubernator, nullam creaturam sine loco fecit; cum paupertas, & persecutio, in Mundo locum non habeat: ideo eis possessoriè ex nunc coelicas sedes dedit. S. Bernardinus f. 2. de 8. beat. Inter eximias benedictiones pauperes primi veniunt in Christi sermone: Christo enim est ingenuus proprius, & peculiaris, affectus in pauperes. Sylveira hic q. 13. Dum pauperi defertur regnum caelorum, creatur in regem. Sed quid paupertati cum regno? Multum: nam sicut regi omnes tributa solvunt; ita pauperi omnes subsidia ferre debent. Id. ib. q. 16. Possessio tua, mens tua est; aurum tuum, cor tuum; argentum tuum, eloquium tuum est. S. Ambros. Offic. l. 1. c. 3. Imum in rebus, odibile hominibus, despicabile in personis, ante omnia beatitudini Christus adscripsit; & decoravit deforme apparens, non tamen existens. Sim. Cas. l. 9. c. 4. S. Chrysost. hom. 2. in illud Rom. 16. 3. salute Priscam, & Aquilam: pauperem vocat caeli municipem.

Pauperes evangelizantur. Matth. 11. 5. Lyran. id est, nuntiantur habere regnum caelorum, praedicantur beati. Nota: non solum pauperes Evangelij laetissimum nuntium audiunt; sed etiam illud recipiunt, & vivâ fide credunt: quia paupertas aptissima ad Evangelium recipiendum. Barradius D. 2. Adv.

Sedebitis & vos. Matth. 19. 28. Paupertatis statui facultas iudicandi datur propter duo. 1. qui de rebus quibuslibet iudicaturus est, oportet, ut sit purus ab illis. 2. quia in iudicio de operibus misericordiae erit disceptatio: *esurivi &c.* Matth. 25. 35. Illi, qui per erogationem omnium bonorum statum paupertatis elegerunt, alios iudicabunt; praecipue qui nihil dederunt. Stella in Luc. 18. 29. *Sedebitis & tamen* Matth. 12. 42. dicitur: *Regina austru surget in iudicio cum generatione ista.* Regina adstat; & humiles, ac pauperes piscatores sedent iudicantes. Gloriosior fors, & sublimior Christiana paupertas, omni regali majestate, Sylveira hic in Addit.

Ecce evangelizo vobis &c. Luc. 2. 10. Non Pontificibus, non Sacerdotibus, non Pharisaeis, non Scribis, non Optimatibus: ut hinc percipiamus, quam chari sint Deo etiam vilissimi homines; utpote ad quos dirigit Angelos; quibus primum manifestat mysterium nati Dei. Cajetanus hic.

Nihil tuleritis. Luc. 9. 3. Dat primum Discipulis legem perfectae inopiae: volens, ut non solum sine suspitione; sed etiam in admiratione, sint. Nihil enim ita admirandos reddit, sicut vita frugalis, ac quibuslibet obvijs contenta. S. Isidorus Pelus. hic.

Non licet tibi habere &c. Marci 6. 18. S. Chrysost. hom. 1. de Elia: Nihil praeter melotem possidebat. Nihil enim, nihil omnino sic liberè loqui, & in rerum discrimine fiduciam habere; & contra captivitatem satis munitum, & fortem facit: ut nihil possidere, & nullis secularibus obrui negotijs. Hinc jam non mi-

ror, quod Gen. 33. 3. progrediens adoraret pronus in terram septies. Did. Nisf. Pol. cael. p. 2. l. 7. c. 1.

Zachaeus dives erat. Luc. 19. 2. Apostoli pauperes. Reddidit ille quadruplum, quod rapuerat; divisitque pauperibus medietatem substantiae suae, quae remanserat: suscepit Christum hospitem; salus facta est domui ejus. Et tamen, quia parvulus erat, & Apostolicae proceritati se non poterat extendere; non fuit in duodecim numero Apostolorum. Apostoli autem, quantum ad divitias, nihil; quantum ad voluntatem, totum Mundum pariter, reliquerunt. S. Hieron. ep. 26. Consolatio ad Pamachium super obitu Paulinae uxoris.

Argentum, & aurum, non est mihi. Act. 3. 6. Cur Petrus, antequam claudum à sua miseria sublevaret, testatur, se aurum, & argentum, non habere? S. Chromatius f. 1. hic. o verè beata paupertas! quae, cum nihil de Mundi facultate habeat, tantum de caelo largitur: non dat quidem argentum, vel aurum; sed, quod plus est divitijs omnibus, reddit corporis sanitatem. Sylveira hic. q. 8.

Ex Patribus, & alijs.

Inops ultrò, ac sponte, animus fulget ut aurum, splendet sicut gemma; floret quasi rosa: nulla tineae ibi est, nullus fur, nulla cura secularis; sed vivit Evangelicâ vitâ. Vis hujus animi pulchritudinem aspicere? vis paupertatis opes, quanta sint, discere? non imperat haec vis, sed daemones; non assilit regi, sed assilit Deo; non hominis, sed Angelorum, commilito est &c. S. Chrysost. hom. 48. in Matth. 13.

Sicut in caelo sunt novem Ordines Angelorum, sic sunt in hoc Mundo novem modi bonae vitae correspondentes novem ordinibus Angelorum. - Septimus gradus cum Thronis. Matth. 19. *Sedebitis & vos.* S. Vincentius Ferr. f. 2. post. oct. Pasch. D. 1.

De caelo paupertas ad terras descendit; sicut pro nobis factus egenus de caelis advenit. Sim. Cas. l. 10. c. 4. S. Hugo Carthusianus Ep. Linconienis, eorum, quos elemosynâ laudâ bene habebat, leprosoarum, aliorumque, putridos pedes amanter abluebat; & inter lacrymas, & amplexus, pulcherrimè illos ad patendum hortatus, ac solatus, agebat: vos estis rosa paradisi, vos estis lapides pretiosi, quos in suo diademate Christus inseret in aeternum. Anal. Eccl. A. C. 1200.

Magnum, & honorificum, est pauperi servo; si ipse fuerit domini sui panno eodem vestitus, & purpurâ filij regis insignitus; cum qua meretur ad Regis aeterni nuptias introire. Thom. Kemp. Vall. lilior. c. 16.

§. VI

Paupertas caelo apta, via ad caelum.

Joseph, cum primus esset à rege, non legitur tamen, liberis suis hereditatem aliquam in Aegypto reliquisse. Cur? ut patefactum haberent,

berent aditum ad proficiscendum in terram promissionis. Bona enim, & divitiæ, fuissent ijs compedes, quibus in Ægypto detenti fuissent. Diez. fer. 6. D. 3. Quadr.

Beati pauperes &c. ib. hoc est: ita securi pauperes esse debent de regno cœli, sicut sunt de una re, quam tenent manibus, S. Edmund. Cantuar. Spec. Eccl. c. 16. Paupertatem, famem, dolorem, quæ putantur mala; non solum impedimento non esse ad beatam vitam, sed etiam adjumento, evidentissimè pronuntiatum est à Christo. S. Ambros. l. 2. offic. c. 4.

Beati mendici. Matth. 5. 3. sic enim exigit interpretatio vocabuli, quod in Græco est: *quoniam illorum est regnum cœlorum*. Tertull. l. 4. adv. Marcionem.

Veni mulier de Samaria haurire aquam. Joan. 4. 7. Toletus: temporales necessitates, & indigentia, solent salutis consequendæ dare occasionem; quando divina misericordia, ut peccatores convertat, illis uti disponit. apud Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 3. p. 1. sect. 1. §. 2.

Magna quædam penna est paupertatis, quæ tam citò volatur regnum cœlorum. S. Bernardus f. 4. de adv. Dom.

Paupertas est manu ductrix quædam in via, quæ ducit ad cœlum; unctio athletica; exercitatio quædam magna, & admirabilis; portus tranquillus. S. Chrysost. in ep. ad Hebr. c. 10.

Facile est iter ad Deum, quoniam exonerando iter: esset autem grave, si onerando iretur. Guigo. Confid. de tranquill. animi c. 2.

Avis paradisiaca. Lem. *sinè pondere sursum*. Picinelli.

§. VII.

Paupertas apta lucro animarum.

Neque turpis lucri gratiâ. 1. Petri 5. 2. Audacter dixerim, neque in miraculis Apostoli ita mirabiles apparuerunt, sicut in contemptu rerum; neque in efficacia verbi tam homines commoverunt ad novitatem vitæ, prædicando, quàm bona externa spernendo. Sim. Cas. l. 9. c. 18.

Non purè valet Dei vel proximi, quærere lucra, qui propria non contempserit. S. Bernardus ep. 92.

Quantum fratres declinabunt à paupertate tantum Mundus declinabunt ab eis, & quærant, & non invenient. Dicebat S. Franciscus Seraph. teste Luca Wadingo in Annal. Min. A. C. 1210. n. 50.

§. VIII.

Paupertas apta ad sequendum Christum, & ei obsequendum.

Cum adorassent eum fratres sui. Gen. 4. 2. En, quem fratrem despexerant, Dominum adorant, quærentes alimenta. Cum se nullatenus fratre egere putabant, limis aspiciabant: alit modo, cum ab ejus arbitrio pendent, venerabundi suscipiunt; non tam animus adoravit, quàm indigentia. Rupertus l. 9. in Gen. quam

ob causâ adoraverunt? videlicet ut emendi, quæ vellent, haberent licentiam. Ecce enim revera, quomodo manipuli eorû manipuli ejus adorant; dum non ob aliud ignotum principem Ægypti adorant: nisi quia defuerant manipuli eorum: ille autem de manipulis plenum habebat horreum. Naxera in Jos. 9. §. 7.

Tulerunt pallium meum. Cant. 5. 7. Dei amatric, dum exit quærere dilectum; invenit eustodes civitatis, custodes inquam, Angelos. Quæ ista Angelorum custodia, quæ eripit pallia? custos potius servare, & custodire debet. Equidem noverant nobiles cultodes divinæ ammatricis desiderium, & vita: quærebat tamen eum divite ornatu compta; ideo tollunt pallium, ut inopi citius possint Dei copiam facere. S. Ambros. l. 3. de virginis. bene tollitur ei pallium, quæ ad Christum propinquat. Baza t. 2. l. 11. c. 1. §. 7.

Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Matth. 19. 27. Nimirum quia exultavit ut gigas ad currendam viam; nec currentem sequi poterat oneratus. S. Bernardus declam. hic.

§. IX.

Paupertas apta omni virtuti.

Paupertas virtutum pacens. S. Chrysost. f. 28.

Beati pauperes spiritu. Matth. 5. 3. Gradus quosdam firmissimos ex lapidibus pretiosis sternit quodammodo Dominus Salvator; per quos sanctæ animæ, & fideles, repere possint, & ascendere ad summum illud bonum, id est, regnum cœlorum. S. Chromatius conc. de 8. beatitudin.

Ubi meum, & tuum; illic omne litium genus, & contentions occasio: ubi autem hæc non sunt, ibi secunda versatur pax, & concordia. S. Chrysost. hom. 33. in Gen.

Paupertas virginibus in pretio est; & eò amplius, quò ex ipsâ major approximatio fit ad sponsum, qui pauperes requirit, sed divites non pellit. Veruntamen virgo pauper proprior accedit ad crucem nuda rebus temporalibus. Virgo nudam crucem astringit ardentius; & tantò illius arboris fructus gustat sapidius, quò sibi fructum terrenarum arborum interdixit. Sim. Cas. l. 2. c. 1.

§. X.

*Pauperes Deus tuetur, jurvat, honorat.**Figura.*

Itaque perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum. Gen. 2. 1. & *benedixit diei septimo*. v. 3. Sex priores dies, quibus Deus Mundum condidit, magnò creaturarum apparatu divites, solâ benedictione divinâ pauperes fuerunt. Septimus autem vice versâ rebus vacuus, benedictione dives, feliciter processit, ut S. Chrysost. hom. 10. in Gen. notat. Temporales divitiæ benedictionis divinæ expertes fore significantur; spiritualis verò pauper-

tas benedictionis divinae particeps. Mendoza in 1. Reg. 10. lect. 2.

Tulit de lapidibus & supponens capiti suo dormivit. Gen. 28. 11. Coelum patuit cubanti in saxo, dum nunquam magis inops, nec ab avunculo adhuc receptus. Mira in arumnosos propensio Numinis! *dilataberis ad Orientem.* v. 14. Oliva fer. 3. D. 4. Quadr.

Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi. Ex. 3. 2. Deus in rubo? inter spinas. In tali throno considerare voluit, Moysen eruditurus ad regimen populi, quem ipsi tradebat. q. d. sicut ego omitto platanos, abietes, siles nobiles, in vepere quiesco; ita tu magna amoris teneritudine, & sollicitudine singulari, trade te miseris multo amantius, quam beatus: jurisdictionis tuae influxus immitte in eos potius, quos paupertas in rubos fecit, quam quos potentia in cedros evehit. Scias, te fore similem Deo, quando apparebis cinctus mendicis, qui spinæ sunt. Oliva t. 1. conc. 28.

Altare de terra facietis mihi. Ex. 20. 24. Quis non videt, inopes, & miseros, adumbrari in terra? quos Deus aptiores esse novit animi hostijs litandis. Ut enim non pavonem, aut aquilam, aves grandis pretij; sed turtures, & columbas, sibi adoptavit in sacrificium; ita frequentius non consulares, sed ruricolos, & remiges, cooptavit in Senatum suum. Id. ib.

Per vias, & plateas, quæram, quem diligit anima mea. Cant. 3. 2. Sed qui illi vici? quæ plateæ? ubi quæritur Dominus, & reperitur? an plateæ, ubi divites mercatores? &c. S. Ambrosius in Pl. 118. l. 7. ubi quæsit? inquam. In foro; & post quæsit in plateis; de quibus hi, qui ad Patrisfamilias Evangelici prandium convenirent, colligebantur. Luc. 14. 21. *Exi cito in plateas.* Baeza t. 1. l. 3. c. 22. §. 24.

Testimonia. Ex Veteri.

Dives non addet ad medium sicli. Ex. 30. 15. 1. ut ex siclis constet populi numerus. 2. nè diviti detur occasio superbiendi: & despiciendi pauperem. 3. quia una est anima omnium hominum, sive Croesi, seu Iri. 4. quia apud Deum non pluris sunt divitiæ, quam paupertas. 5. quia pretiosa aequè est Deo uniuscujusque vita, & anima &c. Cornelius hic.

Factus est Dominus refugium pauperi. Pl. 9. 10. Non timeant amplius pauperes: quia Dominus in celo sedens factus est refugium pauperem. Bellarminus hic. Sicut mater, quæ habet duos pueros, sollicita est de infirmo: sic est Dominus de pauperibus. Hugo Card. hic. Pauperes Christi egent in hoc saculo; sed sunt locupletes Deo: vitij vacui, sed virtutibus pleni; despecti hominibus, sed acceptabiles Christo. Cassiodorus in Pl. 101.

Sicut abominatio est superbo humilitas; sic & execratio divitis pauper. Eccl. 13. 24. Paulus de Palatio, cum de abominatione, quam habet dives à paupere, disseruisset, ait: atqui Deo nostro tam diviti non sumus execratio; imò nimis dilexit nos. Adde, omnium maximè pau-

Polyanth. Sacra, Tom. II.

peres ei cordi esse: *oculi ejus in pauperem respiciunt.* Octavianus hic.

Ex Novo.

Liber generationis Jesu Christi filij David. Matth. 1. 1. Cur David hic regio titulo non insignitur? ut manifestetur, quòd plus Deus gloriabatur de Davide pastore, & paupere; quam de ipso rege, & prapotentem: pauperes enim à Deo magni æstimantur. Sylveira hic q. 17.

Ego veniam, & curabo eum. Matth. 8. 7. Quantum, divinæ humilitatis insigne; ut cæli Dominus nequaquam dedignaretur Centurionis servulum visitare. Denique alibi Regulo ait: *vade, filius tuus vivit:* ut scias & potentiam divinitatis, & humilitatis gratiam. Ibi noluit pergere, nè in Reguli filio videretur magis divitijs detulisse: hic ipse perrexit; nè videretur in Centurionis famulo conditionem despexisse servilem. S. Ambrosius l. 5. in Luc. 7.

Confide fili. Matth. 9. 2. O mira humilitas! despectum, & debilem, filium vocat; quem Sacerdotes non dignabantur attingere. S. Hieron. hic.

Et surgens secutus est eum. Matth. 9. 9. Quarit S. Basilus M. quare tantum honoris Matthæo Christus tribuit, ut & Apostolum, & Evangelistam, designaret? quæ prerogativa, præter Joannem, aliorum neminem ornavit. Respondet: quòd Matthæus eâ dignitate præcæteris auctus fuit, eò factum; quia plura, quam alij, pro Christo reliquit. Matthæus, quando è telonio ipse surrexit, & Dominum secutus est, non modò lucra reliquit, sed pericula etiam ipsa contempsit, quæ ipsi, totique ipsius familie, à civitate, magistratibus, imminabant: quòd receptorum à se vestigalium rationes discedens non confectas reliquisset. Did. Nils. f. 6. D. 2. Quadr. §. 4.

Vade ad mare, & mitte humanum &c. Matth. 17. 26. Cur tantò miraculo usus? cur non pecuniam ex loculis, quos habebat Judas, dedit? Respondet S. Hieron. quia res pauperum, in suos usus convertere, nefas putavit. Mendoza in 1. Reg. 6. 14.

Tunc duo erunt in agro &c. Matth. 24. 40. Sed dicet aliquis ex his, qui adsunt: pauper sum, & fortassis tunc infirmus in lecto reperiar. Si mulier in mola non relinquetur, nunquid nos negligemur? Confide homo! Judex hic non est acceptator personarum; non secundum opinionem judicat; neque ex sermone redarguit: non præfert prudentes idiotis, neque divites pauperibus. Etiam si in agro fueris, reperient te Angeli. Non putes, quòd magnates quidem accipient, te verò agricolam relinquent. Sive servus fueris, sive pauper; nè metuas. Qui formam servi in se recepit, servum non contemnet. Etiam si æger in lecto jacueris; scriptum est enim: *erunt duo in lecto uno.* Luc. 17. 34. S. Cyrillus Jerol. Catech. 15.

Ad illud: *quamdiu non fecisti uni de minoribus his, nec mihi fecisti.* Matth. 25.

U u

45. Quid

47. Quid ais? si fratres tui sunt, quomodo minimos appellas? Imò verò ideo fratres, quia humiles, quia pauperes, quia abjecti. Hos enim maximè ad fraternitatem convocat suam, qui ignoti, & despirabiles sunt. S. Chrysof. hom. 80. Considera, quòd quamvis rex in sede majestatis tantæ, non dedignatur tamen appellare fratres suos, pauperulos suos. Cajetanus hic. Homo, si ex humili generatur, & Deo præstante, ascenderit ad aliquam dignitatem; erubescit generationem suam audire. Et Christus adhuc gloriatur, fratres suos dicendo, sedens in majestate: quia veniens in iudicio gloriæ mutavit voluntatem priorem. Auth. imp. op. hom. 50.

*Et hoc vobis signum: invenietis insan-
tem pannis involutum.* Luc. 2. 12. Quare paupertatem Deus sibi elegit insignum? ut denotaret, quàm pretiosa illi erat paupertas. Quis-que assumit sibi pro signo illud, quod magis est cordi, & majori gloriæ. Sylveira hic q. 20.

Supra familiam suam. Luc. 12. 42. Non super familiam Episcopi, super nepotes, consanguineos. Familia Christi sunt pauperes, pupilli, infirmi. Super hos constituitur Prælatas. Stella hic.

Pauperes - introduc huc. Luc. 14. 21. In justificatione mortalium ut plurimum ignobiles peccatores eligere Dei bonitas videtur, & pauperes. Hinc est, quòd ad nuptiale convivium cæci, debiles, claudi, eliguntur, & inopes: quòdque his majus est, etiam introire coguntur. S. Laurent. Just. serm. in solenn. SS. Petri, & Pauli.

Auferte ista hinc. Joan. 2. 16. Cur Dominus columbarum venditores flagellò non percussit. Rupertus l. 3. in Joan. non divites, sed pauperes, huiusmodi oviculas vendere solent. Pauperibus ergo parcit, ut non exturbet columbas, quas vendebant; quas, cum exturbata evolassent, ipsi consequi non possent, & aliquando damnò affectu angerentur, & jure deplorarent. Sylveira hic q. 12.

Mendicus erat. Joan. 9. 8. Theophylactus non temerè hoc adnotavit Evangelista, quòd mendicus fuerit; sed ut ostendat infallibilem Domini misericordiam, quæ se ad infirmos usque dimittat; ita ut mendicum summâ diligentia curaret: & ut inde etiam ipsi disceremus, nè contemnamus minimos. apud Sylveira hic.

§. XI.

*Pauperes à Mundo spernuntur, du-
rè habentur.*

Symbola.

Tollensq; se Angelus Dei &c. Ex. 14. 19. Pharaò luce percussus, fugit, ait *Israe-
lem.* v. 25. Dominus enim pugnat pro eis contra nos. Si virgam illam animatum serentem Ex. 7. 10. Christi D. figuram, despexit; cur Angelum suspicit, & Dominum inlclamat? Isidorus in questionib. in Gen. c. 12. virga serpens facta est: quoniam qui erat Filius Dei ex Deo Patre natus, filius hominis factus est. Vir-

ga projecta humi serpit deformis: at Angelus nube fulgidâ micat, & de throni splendore habetur pro Deo. O quoties vir eruditissimus despicitur! si pannosus. Et habetur hebes Apollo, si fortunâ aspirante nitescat, & habitu externo fulgeat. Naxera in Jos. 17. §. 10.

Percussitque Saul Amalec - & apprehendit Agag regem Amalec vivum: omne autem vulgus interfecit in ore gladij. - & percipit - quidquid vero vile fuit - hoc demolitum sunt. 1. Reg. 15. 7.

Capilli tui sicut greges caprarum. Cant. 4. 1. - *dentes tui sicut greges tonsurum.* v. 2. Cur non capra, sed oves, referuntur tonsæ? Oves valles, & campos habitant, capræ in montibus vivunt; ergo ab altis nihil præcidit ferrum, ab humilioribus lanam aufert. Certè à capillis caprarum superflua prolixitas præcidenda foret: à dentibus verò cum carne prope sint nudi, nihil auferrî posse videbatur. Et tamen dentes detonsis assimilantur, capilli capitis non detonsis. O nimis verum! à divitibus multa præciderentur utiliter; à pauperibus vel recula non innoxie auferuntur. Naxera in Jos. 11. §. 12.

Lapis - percussit statuum in pedibus. Dan. 2. 34. Non caput aureum, non pectus argenteum, &c. sed pedes fictiles. Hoc nunc ad literam agitur: non est ictus ad caput aureum, magnates; in pedes fictiles, plebeios justitia exercetur. Diez fer. 2. D. 4. Quadr.

Percutiens servum principis. Matth. 26. 51. Cur non extendit Petrus gladium ad principem, magistratus &c. Sed solum pauperulum famulum percudit? Hoc communiter accidit ministris hujus Mundi; qui in potentes timent manum mittere, eos etiam in suis criminibus venerantur; pauperes verò, & miseros, opprimunt. Sylveira hic addit.

Homo, qui descendebat ab Jerusalem in Jericho. Luc. 10. 30. Symbolum pauperis. 1. dicit homo quidam. Non eum nominat: quia pauperis nomen nemo scit. Eccl. 13. 29. *pauper locutus est; & dicunt, quis est hic?* 2. *descendebat:* qui enim ad altiora ascendunt, sunt divites; pauperes verò semper descendunt. 3. *ab Jerusalem in Jericho,* à quiete in commutationem: pauper enim non est requies; *in sudore vultus sui vestitur pane suo.* 4. Ex hoc descensu provenit, ut *incidat in latrones:* etiam illud modicum, quod ei residuum est, aufertur; & vix accipit aliquid olei misericordie sine acri vino reprehensionis. &c. Diez fer. 5. D. 2. Quadr.

Mitte Lazarum. Luc. 16. 24. Dives ille adhuc divitis mentem respiciens in ipsis tormentis, videns Abrahamum, & Lazarum: & tamen divitem Abrahamum præterit, & ad Lazari digitum respicit. S. Chrysol. l. 122. adhuc divitem malitia non deserit; adhuc in Lazarum sic crudelis. Id. Ib.

Et puer unus hic. Joan. 6. 9. Sic principum consiliarij, sic proceres, remedia regni, urbium, exercitûs, principi suggerunt de minimorum pauperum reculis; pusillorum panes, & pisciculi, proponuntur. *Oculi ejus in pauperem*

rem respiciunt. Pl. 10. 9. Secundum Hebraeam. Significatur divitum confessus, sive comitia, quibus quid magnum tractant ad regni stabilimentum, & rationem statūs. Sed quid maximè ibi respiciunt? oculi ejus in pauperem respiciunt. Baeza t. 2. l. II. c. 2. §. 20. Nonne alij ibi aderant, qui necessitati opem ferre possent? utique aderant, & quidem quinque millia virorum ut diximus, sed puerum cæteris infirmiore primò locò aggressi sunt. Semper enim partem imbecilliorē appetit rigor, & pauper luere omnia debet; & vel solus, vel primus, subire, si quid poenale, aut molestum, occurrat. Did. Nils. Phoen. Græc. l. 6. c. 4. Remedia pridem nonnullis urbibus data, quid aliud egerunt? quàm ut divites cunctos immunes redderent, miserorum tributa cumlarent. Salviānus l. 4. de gubernatione.

Quò quisque infirmior, prædæ patet. Sunt, qui invicem se devorent, & sua carne pascantur. Minor apud illos esca majoris est. S. Ambros. l. 5. hexam. c. 5. de piscib.

Sic est hodie de justitia, & de ministris illius; sicut de tela aranearum: in qua parvæ muscæ capiuntur, & strangulantur ab ipsis araneis; crassæ autem inde facilè evadunt. Guilielmus Pepinus serm. in fer. 6. D. 3. Quadr. apud Nils. ibidem.

Testimonia ex Veteri.

En famuli tui flagellis cædimur. Ex. 5. 16. Quid Pharao? *vacatis otio.* v. 17. Miseri! cum tot atterantur laboribus, otiosi audiunt. Lippomanus: vide, quomodo mendacium habetur, quidquid pauperes pro se allegant. Naxera in Jos. 9. §. 20.

Persequimini hostes, & extremos quosque fugientium cædite. Jos. 10. 19. Non multò post *præcepit Josue.* v. 22. *Aperite os spelunca. Jeceruntq; ministri. ut sibi fuerat imperium.* v. 23. Hic ministri executi referuntur imperium; cum ibi non dicantur imperium executi: quia hoc laboriosius, illud facilis: quia ibi contra debiliores, extremosque ferebatur sententia; hic verò in sublimes, & potentes. Naxera in Jos. 10. §. 50.

Judicate egeno, & pupillo; humilem, & pauperem justificate. Pl. 81. 3. Justificatio supponit culpam, & delet præcedentem maculam. Dicat ergo, peccatorem justificare; aut, pauperem eripite. Paupertati justificationem prudenter exoptat: quia scit, apud humanos judices, & tribunalia, pauperem semper, uti peccatorem, damnari; cum dives absolvatur ut justus. Naxera in Jos. 9. §. 20.

Ex Novo, & Patribus.

Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoreris me. Matth. 4. 9. Auth. imp. op. hom. 5. in Matth. uni dare non poterat omnia, nisi ab omnibus tolleretur omnia. S. Chrysol. l. 123. ait, Epulonem artificiosâ nuditate vestitum. Cujus nuditate? multorum, quos nudavit; ut vestem sibi texeret. Naxera in Jos. 10. §. 37.

Polyanth, Sacr. Tom. II.

Tollite itaq; ab eo talentum. Matth. 25. 28. Didaçus de Celada sic rem expendit l. in Judith c. 3. v. 2. §. 4. n. 11. quòd Christus D. hic adumbravit, quod est in communi more: à paupere servo jubetur tolli talentum; & dari ei, qui habet decem talenta, diviti. Miseri emunguntur, ut magis pinguefcant divites: habenti dabitur. Sylveira hic addit.

Tunc videns Judas, quòd damnatus esset. Matth. 27. 3. Nondum Christus D. ante Pilatum steterat; nec mortis sententia lata à Præsede; penes quem solum erat vitæ, & mortis jus; & tamen Judas damnatum vidit? scilicet, ut Origenes tr. 31. in Matth. ait: magnam vim habent potentiorum preces, & molimina, contra pauperem, & innocentem; ut judicium vel integerrimum fleclant; ut contra fas, & jus, sententiam ferant. *Consummaverunt principes &c.* Pinna in Eccl. 5. Ethol. 62.

Ipsè capit egere. Luc. 15. 14. Cur non jvatur ab ijs, cum quibus consumpsit substantiam? Quia ubi opes, ibi amici. Sylveira hic q. 5.

Abijt, & adhesit. Luc. 15. 15. Ut quisque ex opum copia aestimatur, ita censeri in mortuis potest, quem census defecit. Filium prodigum omnes ij, &cæ, quibuscum facultates suas prodegerat, in pauperie destituerunt: nec pluris fecerunt; quàm si Mundo, & vitâ, excessisset. Did. Nils. Sabb. D. 2. Quadr.

Mitte Lazarum. Luc. 16. 24. Cur non dixit ipsi Abrahæ, qui olim peregrinorum pedibus lavandis aquam offerebat? linguæ ardori stillam præbe. Dives poterit præbere undam, pauper stillam: ergo à divite, non à paupere, petat. Dives de saculi more scit, divites suâ se potentiâ tueri, miserisque ad tributa solvenda cogi: ideo, nè sibi tardet remedium, relinquit divitem, urget pauperem. Naxera in Jos. 21. §. 12.

Qui præbant, increpabant eum. Luc. 18. 39. Auth. Imp. op. hom. 36. Videbant fordidas vestes, & non considerabant conscientie claritatem. Indignum eis videbatur; ut tales homines vociferarent ad eum. Ecce fatua sapientia hominum. Existimabant injuriam pati magnos viros, si à pauperibus honorarentur. apud Sylveira hic. q. 4.

Hominem non habeo. Joan. 5. 7. *offerebant ei paralyticum.* Matth. 9. 2. Verosimile est, paralyticum hunc divitem fuisse: quia multi ipsius obsequio deputati, tum in deferendo, tum in domo aliena diruptò tectò devastandâ; in quo non modicum inquilino damnum inferrebant: sed noverant damnum à paralytico refarciri posse. Alter paralyticus tringinta octo annis ab omnibus derelictus non habebat, qui illum in piscinam mitteret. Petrus Bessius D. 18. Pent. *Hominem non habeo:* quia pauper erat, ut notat Chrysostomus hom. 36. Beda, S. Thom. Aqu. Bonaventura, Sim. Cas. l. 5. c. 27. privatum se fatetur auxiliò humano, & à Valentioribus prævenitur in cura. Sylveira hic.

Adducunt mulierem. Joan. 8. 3. Mundi leges

U u 2

Ieges solis pauperibus lata videntur. Quærit Lyranus: cur non & adulterum adduxerint? qui accusari, & puniri, æquè merebatur, ac adultera. Respondet: fortè adulter erat dives; adultera fortè erat pauperula mulier; quæ non habuit, unde illis satisfaceret. Did. Nils. fer. 6. D. 3. Quadr.

In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Joan. 9. 34. Quæ peccata recens natum, & arbitrij impotem, fecerunt? Originale omnes inficit, actuale non tulit ætas: cur ergo in peccatis natum affirmant? natus est cæcus, & pauper: sicque apud omnes inopia, & miseria, audit; ut ijs, velut sceleri, insultent. Naxera in Jos. 9. §. 20.

Et eiecerunt eum foras. Joan. 9. 34. Cur mendicus hic Christi mirabilia prædicans, eiecit de Synagoga? non verò Lazarus. Joan. 11. Lazarus dives, unus è primis: & in Mundo omnis molestia pauperibus infligitur; potentes immunes. Sylveira hic. q. 19.

Scio tribulationem tuam, & paupertatem. Apoc. 2. 9. Semper cum paupertate tribulatio, & persecutio, jungitur: imò ipsa paupertas tribulatio. S. Chrysof. hom. de divite: habet paupertas martyrium suum; & egestas bene tolerata facit martyrium: sed egestas propter Christum; non propter necessitatem. Sylveira hic.

Clamat ante domum tuam nudus, & negligis: & tu sollicitus es, quibus marmoribus pavimenta vestias. Pecuniam pauper querit, & non habet: panem postulat homo; & equus tuus aurum sub dentibus mandit. S. Ambros. lib. de Nabuthe Jezraelita c. 13.

Aliorum divitiæ, eorum, qui in paupertate sunt, tormenta sunt. S. Chrysof. de divite Luc. 16.

§. XII.

Pauperes honora, non sperne, non afflige, cura, juva.

Propter vos egenus factus est. 2. Cor. 8. 9. S. Ambros. in Pl. 118. cum dives pauper factus est, noli tu contemnere plebejum, quia nobilis es; noli despiciere servum, quia potens es; noli pauperem fastidire, quia dominus es. Nunquid nobilior? nunquid potentior? nunquid locupletior Christus est? ille pro te suscepit illa, quæ tu despicias. Admonentur hic divites, & nobiles; non superbire adversus pauperes, & ignobiles: quia simul dicunt Deo, *Pater noster.* S. August. l. 2. de ferm. D. in monte.

An forsân tua te credis habere? res pauperum tibi credita est: etiamsi laboribus iustis; etiamsi hæreditate paternâ, in te pervenerit. Nû putas, non potuisse Deum hanc pecuniam abs te auferre? sed ideo non fecit: quia te dominum esse vult benignitatis erga pauperes. S. Chrysof. hom. 78. in Matth. 24.

Invidiam faciunt, quia aurum erogatur; nec ego hanc invidiam perhorresco. Habeo ærarios: ærarij mei pauperes Christi sunt. Hunc novi congregare thesaurum. Utinam hoc mihi semper crimen ascribatur; quia aurum pau-

peribus erogatur. Quòd si objiciunt, quòd defensionem ab ijs requiram, non nego; sed etiam ambio: habeo defensionem; sed in orationibus pauperum. Cæci illi, claudi, debiles, & senes, robustis bellatoribus fortiores sunt. S. Ambros. orat. in Auxentium de Basilicis tradendis.

Historia Indicæ narrant, apud Peruanos Ingas reges, antequam regnum incant, per dies aliquot laceris indutos vestibus, velut pauperes, & mendicos, per urbem incedere: ut indicent; paupertatem, ac pauperes, sibi cordi esse, & fore. Cornelius in Ecclæ 4. 16.

§. XIII.

Pauperes sunt in bonum divitum.

Unde ememus panes. Joan. 6. 5. Mundus nulli est obligator, quàm pauperibus. Urbes, quas videtis tam amplas, domos, quas inhabitatis tam magnificas; basilicas, quas admiramini tam sumptuosas; sunt opera pauperum: qui lapides eruerunt, advexerunt, calcem parârunt, ligna fiderunt, muros construxerunt. Panem vobis dat rusticus, qui seminat, agrum colit. Aurum, & argentum, soli pauperes effodiunt, in clibanis purgant. S. Chrysof. hom. 34. in 1. Cor. perspicuum est, fieri non posse, ut absque pauperibus constet civitas. Aloysius Juglar. conc. 22. horti Quadrag. Ideo Deus pauperes in hoc Mundo esse permisit, ut omnis homo haberet, quomodo peccata sua redimeret. B. Cæsar. Arelat. hom. 15.

§. XIV.

Pauperum solatia.

Num. 1.

Paupertas Christi. Signum divinitatis.

Eccæ Rex tuus veniet tibi iustus, & Salvator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ. Zach. 9. 9. S. Cyrill. Jerof. Catech. 12. ait. Si Propheta solum dixisset: *eccæ Rex tuus veniet tibi iustus, & Salvator;* dubios nos reliquisset: cum multi sint, fuerintque iusti reges, & suorum subditorum sospitatores. Idcirco Prophetam appellat: da nobis signum, quòd alij reges non habeant; da nobis signum proprium regis, cujus regnum annuntias. Respondet vates: *eccæ vobis signum illud speciale: pauper, & ascendens &c.* Did. Nils. D. Palm.

Ubi est, qui natus est Rex Judæorum? Matth. 2. 2. Quâ ratione adducti sunt, ut sibi persuaderent, eum, qui recens natus est, esse & Regem Judæorum, & Redemptorem Mundi, & verum Deum? Rationem dant: *Vidimus enim stellam ejus in Oriente.* Si Deus est, ut ajunt, qui recens natus; quid dicunt, agnoscere se ejus divinitatem, quia stellam ejus viderunt? Nonne facilius eum agnovissent, si plures stellæ, quasi totidem famuli facigeri, illis præluxissent? quàm una sola? Minime: nam hinc

hinc Dei Majestas, differentiaque illius ab homine, intelligitur: quod homo cupiditate suâ illectus unam pro pluribus stellis prompte relinquet; verum Deus multas pro una deferit. Did. Nifs. D. Palm.

Invenerunt puerum & procidentes adoraverunt eum. Matth. 2. 11. Res utique mira, auditu stupenda. Quid potuerunt reges illi tam inclyti dicere, qui de terra tam remota Deum Regem venerant adorare; dum indicante stellâ intraverunt in stabulum; viderunt infantulum tantâ paupertate compressum. Poterant enim dicere: quis rex est iste? Si enim Rex est, ubi regis palatium? ubi regale solium? ubi turba obsequentium famulorum? sed, ut videmus, palatium ejus est stabulum, solium est praeseptum; & si turbam quaris famulorum, invenies bovem, & asinum. O fides admiranda! fides veneranda, fides sollicito corde tractanda! Confundatur infidelitas nostra, stupeat nostra superbia, quæ non timet ad Patris dexteram jam sedentem; quem adoraverunt reges in praeseptio vagientem. S. Bonaventura l. 26. in Epiph.

Vidimus stellam ejus. ib. Dicite potius, vidisse vos ejus solem, lunam, stellas, quorum ille sit Dominus. Nec unius tantum stellæ dominum facite, quæ ipsum illuminet. S. Chrysol. l. 156. verè, sicut dixit Apostolus: *cùm esset dives, pauper factus est.* 2. Cor. 8. 9. cum esset in sua Deitate dives, nostrâ sit pauper in carne; & habere cepit stellam unam, totam qui fecit, habet, & continet creaturam, q. d. qui in stabulo natus, in praeseptio reclinetur; ei una stella satis est; nec major ostentatio necessaria. Quale enim hoc esset; si pauper, cui pro lecto est praesepe, pro domo natali stabulum, plures faces ad suum obsequium adhiberet. Did. Nifs. ib.

Resplenduit facies ejus sicut sol. Matth. 17. 2. Inmodicam vultus claritatem vult Mathæus indicare; cum illum ait solis instar resplenduisse. Sed non videtur magna exaggeratio, quando Isaias de beatis ait, eos sole septies splendidiore futuros, c. 30. 26. Quod si ita est; cur Christus tantum *sicut sol* resplenduit? Ad mensuram conditionis suæ extendit suam ostentationem: nec splendorem protulit majorem, quam tunc res postulabat. Id. ib.

Sedens super asinam. Matth. 21. 5. Relinquere majus pro minore, proprium est magnificentiæ Dei; quod consuetudo cupiditatis humanae non habet. Christus sedens super asinam, Jerosolymam triumphator ingreditur, cum invehî posset curru triumphali. Si purus homo fuisset, magnificos apparatus in triumpho solennitatem undique accersisset. Id. ib.

Hoc vobis signum. Luc. 2. 12. ex quo scilicet cognoscere possitis, esse Deum, quem reperietis natum. *Invenietis infantem pannis involutum, & positum in praeseptio.* Et hæc sunt Dei judicia? Mendicabulum potius, quam Dei Filium, loquuntur pauperes panni, & praesepe. Sed bene dicit Angelus: *hoc vobis signum.* Nam quod elegit vide stabulum, angustum praesepe, pauperes pannos; qui poterat sibi curare sumptuosum palatium, magni-

ficum stratum, pretiosa peristromata. Hoc infantis homine majoris signum est, hoc Deum indicat; qui majora minoribus postponit. Id. ib.

Quis ex vobis homo, qui habet centum oves - nonne dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat. Luc. 15. 4. S. Chrysol. hæc parabola plus diviniæ pietatis, quam consuetudinis humanae, loquitur; & exprimit veritatem. Magna relinquere, amare minora, Dei potestatis est, non cupiditatis humanae. q. d. homo unam facile contemneret, cui ovium nonaginta novem potestas fieret: quia ambabus manibus repellit minora, & arripit majora. Id. ib.

Num. 2.

Alia de paupertate Christi.

Ex Veteri, Novo, & Patribus.

Abel. Gen. 4. Abel interpretatur nihil habens. Et Christus Dei Filius nihil omnino habuit. Matth. 8. 20. *vulpes foveas habent* &c. pauper in ingressu, pauperior in progressu, pauperrimus in egressu. Hugo Card. hic.

Lapis ille, quem capiti suo supposuit Jacob. Gen. 28. 11. ut dormiret, hic Christum significat, lapidem angularem. Hunc enim quicumque supponit capiti, id est, cordi suo, dormit securus: quia Mundi divitias contempsit; & ideo Mundi passionibus non perturbatur: nihil habens in saeculo, cur gaudeat, cur timeat, cur speret, cur doleat? S. Rupertus l. 2. in c. 1. Joan. Sicut Jacob, dormire cupiens, ideo lapidem pro cervicali capiti suo supposuit; quia pauper è domo patris sui exiit, solò baculo nixus, non habens, ubi caput suum reclinaret; sic pia anima, quæ pulvillos, & cervicalia terrena, ex animo contempsit, non habens ubi caput suum commodè in Mundo reclinet; confugit ad levam Christi Dei, & hominis; qui pro nobis ita egenus factus est, ut non haberet, ubi caput suum reclinaret. Et super hanc pauperis Christi manum quiescit; totamque suam spem collocat: confidens, quod ipsius meritis Divinitatis amplexabitur illam, de Ponte in Cant. 2. Exh. 40 §. 2.

Cumque complexisset sorte dividere terram &c. Jos. 19. 49. Quare Josue, cum alijs terram disperteret, sibi non distribuit aliquam portionem; sed urbem accepit à populo? Imitatus est in eo modestiam Domini: *discite enim* ait, *à me* &c. Matth. 11. 29. Extremam itaque expertus est inopiam; ita ut nè domum quidem haberet. *Filius*, inquit, *hominis* &c. B. Theodoretus in Jos. q. 17. hic.

Videant pauperes, & latentur &c. Ps. 68. 33. Quid videant? Christum egentem, Christum mendicantem. Videant, & latentur: cum in paupertate sint frateres, & socij Filij altissimi D. N. J. C. S. Bonaventura l. 2. in Convers. S. Pauli.

Videns autem Jesus turbas multas. Matth.

U u 3

8. 18.

8. 18. *Et accedens unus scriba* v. 19. Quâ intentione accedit? Hieronym. Chrylost. Pafchal. Euthym. Beda &c. docent: quod lucri causâ Dominum sequi voluerit. Credebat enim, quod ex tantis operibus, & miraculis, multas divitias esset accepturus; quarum se fore participem sperabat. Sed Dominus ei obicit suam paupertatem: *Filius hominis non habet, ubi caput reclinet.* v. 20. Euthymius: vulpibus, & volucris coeli, sum pauperior: neque enim receptaculum habeo; nec quantum sufficiat ad caput tantum reclinandum. Tales enim esse volo & eos, qui me sequuntur. Itaque frustra suspicatus es, & in vanum sperasti. Sylveira hic.

Illum sumens da eis pro me, &c. Matth. 17. 26. Disce paupertatis studium in Christo; utpote qui non habebat domi vel unum siclum, ad solvendum tributum; sed illum per miraculum à pisce acceperit: ut doceret; Deum per pisces, ceterasque creaturas, pauperibus spiritu providere de necessarijs; sicut providit Eliæ per corvum. Cornelius hic.

Natus est vobis hodie Salvator. Luc. 2. 11. Pauper mater, pauper filius, inops hospitium, his, qui in forma hujus Scholæ in Ecclesia militant, præbent efficax documentum. S. Cyprianus de Nat. D.

Et hoc vobis signum &c. Luc. 2. 12. Christus semper ideo fuit pauper; ut hoc signum cognoscerentur milites sui. Sed signo huic à multis contradicitur. Hugo Card. in Gen. c. 40.

Invenietis infantem. ib. Quæ est ista evangelizatio Angelica; ut ad signandum Jesu Christi D. involutum pannis, reclinatum in præsepio, clamet? suntne ista tria, infantia, pannorum involutio, situatio in præsepio, perfectæ signantia Salvatorem? ad ea signa se contulit ostendenda: quæ ostenderent, Deum humanis rebus liberum existentem. Et ingressum, & egressum, à Mundo, voluit concordare: ut in paupertate natus, in illa etiam moreretur. In Nativitate inventus est infans; & coram Pilato siluit; *ut miraretur Præses.* Matth. 27. 14. Sic natus involutus est pannis; sic mortuus Syndone involutus est. Et sicut reclinatus, & positus, est in alieno præsepio; sic positus est in alieno sepulchro. Sim. Cas. l. 1. c. 7.

Milites-acceperunt vestimenta ejus &c. Joan. 19. 23. Modica vestimenta Christi nobis paupertatem insinuant: nec aurea, seu argentea zona; neque crumenæ plenæ pendentes; neque calceamenta, in ista divisione fuerunt: ut sciat, Dei Filium non quaesivisse talia super terram; exceptis, quibus se factum hominem ostendere oportebat: nec condidisse more hominum testamentum temporalium rerum; sed virtutum: super quibus non filios, aut fratres carnis, sive quosque propinquos; sed tantum suos subsequos, Mundo mortuos, reliquit hæredes. Id. l. 13. in Luc. 23. 24.

Pauper in nativitate, pauperior in vita, pauperimus in cruce: natus enim pascum habet sac Virgineum, tegmen pannos viles. In vita verò, si tegumentum habuit, sapius in victualibus defecit. In morte & nudum invenies, &

fitientem, S. Bernardus tr. de Pass. D. c. 3. sup. *ego sum vitis.*

In hujus sponsæ (paupertatis) strictis amplexibus animam emisisti. Nec ista sanctissimæ sponsæ tuæ resurrectioni defuit: quia in ejus amplexus gloriosè resurgens, in sepulchro omne mutuatum, & adventitium, reliquisti. Hanc tecum asportasti ad cœlos, Mundanis relinquens omnia, quæ sunt Mundi. S. Bernardus f. 2. de 8. Beatitude, alloquens Christum.

Num. 3.

Paupertas Sanctorum.

Scidit vestimenta sua. Job. 1. 20. Origen. hom. 1. in Job; etiam hanc vestem trado tibi; ut nihil remaneat ex omnibus, quæ tradidit mihi Deus. q. d. Deus omnibus bonis me spoliavit; ut nihil mihi restet, nisi sola vestis. Ego autem, ut me totum divino beneplacito conformem, nec ipsam hanc vestem retinere velim: hoc solò contentus, quod ad majorem adhuc paupertatem redactus sim, quam à me Deus requirit. Paoletti in Purif. B. V.

Et fraudavit de pretio agri. Act. 5. 2. Erat hoc furtum, & facilegium, rei Deo dicatæ. Ergo voverat plenam bonorum abdicacionem, uti Religiosi voventes paupertatem. Probatur ex verbo *fraudavit*: fraus enim non fit in re propria, sed aliena. Si enim non vovisset, fuisset tantum officiosum mendacium, non perniciosum; utpote in re propria; ideoque veniale. Sicut qui amico daret centum aureos dicens: plures darem, si haberem; at non habeo: peccat tantum mendaciò officiosò, & veniali: nec dicitur fraudare; multò minus mentiri Spiritui Sancto. Porrò si primævi Fideles, etiam conjugati, vovebant paupertatem; multò magis eam voverunt Apostoli, eorum in virtute duces. Cornelius hic.

Nè verbò quidem audet quis dicere aliquid suum: magnumque est crimen, ex ore Monachi processisse, codicem meum, tabulas meas, graphium meum, tunicam meam; dignâ poenitentia satisfactorius, si casu aliquò per subreptionem, vel ignorantiam, hujusmodi verbum de ore ejus effugerit. Joan. Cassianus de cœnob. instit. l. 4. c. 13.

Nemo tam auri, quam ipse cupidus paupertatis: nec thesauri custodiendi sollicitior ulus, quam ipse hujus Evangelicæ Margaritæ. S. Bonaventura in vita S. Francisci c. 7.

Multi hoc unò nomine libenter multa habebant, ut multa contemnerent. S. Gregor. Naz. orat. in Julianum.

P. Andreas Oviedo, à Pontifice creatus Patriarcha Æthiopiæ, ibidem usque ad mortem vixit in tanta paupertate; ut proprijs manibus aratrum duceret, sereretque fruges, quas comederet. Unde revocatus à Gregorio XIII. P. literas ad eum dedit exaratas in marginibus, quos è Breviario suo præciderat; eò quòd aliam ad scribendum chartam non haberet. His enixè obsecrabat Pontificem, ut permitteret se Ecclesiæ suæ, quam sibi desponderat, usque ad finem vitæ assistere. Visis his literis illacryma-

erymatus est Pontifex, suamque illi benedictionem impertijt. Cornelius in act. c. 2.

Num. 4.

Pauper est dives, nil ei deest, quia habet Deum.

Ex Veteri.

Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meae. Gen. 41. 52. Cùm Joseph ex multa sua inopia ad magnas opes evectus, posteriori filio nomen Ephraim imponit, id est, *frugiferum.* Sylveira in Apoc. 2. 9.

Occidat unusquisq; fratrem, & amicum, & proximum suum: feceruntque filij Levi &c. Ex. 32. 27. S. Ambros. Annot. in Exodum: Sanctiora ad hoc munus eliguntur ministeria Levitarum, quorum portio Deus est. Nesciunt suis parcere, qui nihil suum norunt: quoniam sanctis omnia Deus. Spernunt ab amicis proventura bona, qui Deum possident. Seneca l. de consolat. ad Polib. adijce nunc, quod cùm semper prædices, chariorem tibi spiritu tuò Casarem esse; fas tibi non est, salvò Casare, de fortuna queri. Hòc incolumi salvi tibi sunt tui: nihil perdidisti: non tantùm siccòs oculos tuos esse, sed etiam lætos oportet. In hoc tibi omnia sunt. Adversus felicitatem tuam parum gratus es; si tibi quidquam, hòc salvò, flere permittis. Magis dic animæ, quæ Deum habet: in hoc (Deo) tibi sunt omnia, quoniam sanctis omnia Deus est. Parum refert amittere omnia, dum non perditur Deus. Did. Nis. Vit. Abr. l. 4. c. 3.

Tribus Levitica Jos. 13. 14. propriam possessionem non habebat; cæteris tamen omnibus ferè opulentior. Nam, si tribum Juda excipiamus, nulla fuit alia, quæ quadraginta octo urbes obrineret, ut Levitica. Jos. 21. 1. &c. Mendoza in 1. Reg. 1. Annot. 4. sect. 1.

Ego verò egenus, & pauper sum. Pl. 69. 6. Videamus, cùm sit cœlesti thesaurò ditissima, ubique se egenam, & pauperem dicit gloriosa paupertas. Utiq; quia Mundanas copias non habet; & intus, ubi est dives, semper ambit, semper desiderat, semper accipit; sicut dicit Apostolus: *fratres, ego me non arbitror apprehendisse.* Philipp. 3. 13. Vides meritò tales dici egenos, qui continuò acquirere gratiam divinitatis exoptant. Cassiodorus hic.

Veniat Dilectus meus in hortum suum. Cant. 5. 1. Quid clamas sponsa? hortus tibi verna, in quo mel, lac, poma Punica, aromata, crocus, virent lilia, manant aquæ; nihil ad beatitudinem deest. Clamo, quia ille deest; quo absente nihil habeo: quò præsentem, etsi desint mihi omnia, deest nihil. Ut Jobo nihil desuit in summa rerum inopia, quia ei adfuit Deus; ità desunt mihi omnia in copia frugum, & florum; quia abest Jesus. Veniat Dilectus in hortum: alioquin hortus convertetur in desertum. Opes, nobilitas, eloquentia, plausus, delicia, hortus sunt: sed si oratio aruit, si Christus à corde abcessit; solum mihi superest in

serico, & gloria, sepulchrum. Oliva t. 2. Strom. §. Veniat Dilectus.

Ficus non florebit. Habac. 3. 17. & addit: *ego autem in Domino gaudebo &c.* v. 18. Fatetur, se licet sibi omnia temporalia desint, dummodo Deum in anima sua habeat; spirituales lætitiâ, & consolationem, non amissurum; sed ex his omnibus laboribus victoriam reportaturum, ob eamque Deum laudaturum. Diez. conc. 2. D. 4. Epiph.

Ex Novo, & Patribus.

Apertò ore ejus invenies staterem. Matth. 17. 26. Ab ore piscis jussus est Petrus extrahere staterem: sunt enim omnes creaturæ Christi pauperibus pro crumena; quando & pisces noverunt nummos suppeditare. S. Bernardus s. 21. in Cant. non assumes Christi pauperes sola cœlestia possidere; quia ea sola audis in promissione: possident & terrena, *tantum nihil habentes, & omnia possidentes.* 2. Cor. 6. 10. Denique Fideli homini totus Mundus divitiarum est; totus planè: quia tam adversa, quàm prospera ipsius, æquè serviunt ei. Gen. 27. 28. *det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, & vini.* Bæzat. 2. l. 12. c. 1. §. 5.

Scio paupertatem tuam, sed dives es. Apoc. 2. 9. S. Andreas Ep. Cesar. ab omnibus facultatibus exutus es; interim spiritualibus copijs affluus; utpote thesaurum absconditum in pectoris agro defossum servans. Sylveira hic.

Cùm Dei sint omnia, habenti Deum nihil deerit; si Deo ipse non desit. S. Cyprianus l. de orat. Dom.

Sapientia nihil alienum, nisi quod virtuti incongruum. Quocunque accesserit, sua omnia totus Mundus possessio est: quoniam totò eò quasi suo utitur. S. Ambros. ep. 44.

Perfectus servus Christi nihil præter Christum habet: aut, si quid præter Christum habet, perfectus non est. S. Hieron. ep. 1. ad Heliodorum.

Quid habet dives, si Deum non habet? quid non habet pauper, si Deum habet? S. August. s. 1. D. 5. Trinit.

§. XV.

Paupertas lucrosa, utilis &c.

Symbole, Similitudines.

Oves, & boves. Pl. 8. 8. Oves electum populum significant Christianum. *Pasce oves meas.* Joan. 21. 17. qui ideo comparantur ovibus; quia Mundi exuvias sine aliquò sensu doloris amittunt. Nam sicut ovis tondentem se non increpat; ità nec justus cupiditatem se expoliantis accusat. Cassiodorus hic.

Dentes tui sicut greges tonsarum. Cant. 4. 2. *Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum.* Matth. 10. 16. Non assimilantur ovium dentibus, sed ovibus ipsis: quia ovium induunt proprietates; nimirum simplicitatem, inno-

innocentiam, humilitatem, suoque pastori promptam subjectionem. Assimilantur autem non quibusvis ovibus; sed *quæ ascenderunt de lavacro*, propter duplicem munditiam, quæ in ovibus est, cum tonsa sunt ablata lana, quæ immunditiam contraxit, & in lavacro sunt tota. de Ponte hic Exh. 4. §. 2.

Tolle superflua, & salubria surgunt: utilitati accedit, quicquid cupiditati demis. Demus operam putationi: putetur cupiditas; ut virtus roboretur. S. Bernardus f. 58. in Cant.

Christus medetur sudoriferò lacrymarum, incisione venæ, & minutione sanguinis corrupti; ordinando divitiis damna rerum. S. Vincent. Ferr. f. 4. D. 17. Trinit.

Vitis. Lem: *Spoliata ditior. Vel: Paupertate feracior.* Picinelli.

Litera O. Lem: *E nihilo plurima.* Id. Aquila ad solem pene ipsum evecta. Lem: *Modo fruuntur oculi, ardeant pluma.* Id.

Arcus in arbore appensus chordâ disruptâ. Lem: *Fraçta magis feriunt.* Id.

Margarita extra concham. Lem: *Nuda caput pretium.* Bovius.

Testimonia ex Veteri.

Ecce universa terra coram te est. si ad sinistram ieris, ego dextram tenebo &c. Gen. 13. 9. q. d. si Occidentem elegeris, ego petam Orientem: si ad Meridiem habitare volueris, ego in septentrione sedem figam. Post hæc, cum alter ab altero discessisset, ait Dominus Abraham: *leva oculos tuos; & vide a loco, in quo nunc es, ad Aquilonem, & meridiem, ad Orientem, & Occidentem. Omnem terram, quam conspicias, tibi dabo, & semini tuo.* v. 14. 15. S. Chrylost. hom. 52. in Gen. iisdem verbis utitur misericors Deus, quibus & Patriarcha cessionem fecerat. Vidiisti, quantis cessit? & quanta est assecutus? vidiisti dignam divinâ bonitate munificentiam? Id. ib.

Nec ultra vocabitur nomen tuum Abraham; sed appellaberis Abraham, quia patrem multarum gentium constitui te. Gen. 17. 5. ait Deus Abraham, & suis circumciso. Alcuinus apud Glos. ordin. pro Deo aliquid perdere, lucrum est, non damnum. Did. Nifs. Vid. Abr. l. 6. c. 7. qui pro Deo pauca perdit, plura recipit.

Quia fecisti hanc rem; & non perpercisti filio tuo unigenito propter me &c. Gen. 22. 16. Abraham constituitur caput generationis Christi Matth. 1. 1. nam ille filium suum Deo obtulit in holocaustum; ideo Deus, qui dives est in misericordia, in superabundantem compensationem Filium suum illi dare decrevit. Solet enim magnificentissimus Deus præmijs merito proportionatum dare, & quibus ei obsequia præstamus, iisdem dona sua nobis communicare. Sylveira in Matthæi 1.

Ne descendas in Egyptum; sed quiesce in terra, quam dixero tibi. Gen. 26. 2. Isaac, cum habitaret in terra Geraris, &, fame vali-

dâ ibi urgente, descendere vellet in Egyptum; ut sibi, suæque familia: consulere, a Deo retineretur. Et nihilominus divinum præceptum proprio commodo præferendum ratus, maluit mendicare in terra Chanaan, quam in terra Egypti locupletari. Cæterum bona temporalia propter divinum obsequium delectanti neutiquam illa bona defuerunt. Subdidur enim: *sevit autem Isaac in terra illa; & invenit in ipso anno centuplum.* v. 12. Mendoza in 1. Reg. 3. Annot. 2. lect. 2.

Myses autem pascabat oves &c. Ex. 3. 1. Felix negotiatio, aliquid pro Deo relinquere: quia illud non amittes; sed potius duplicatum recipies. Dei mandatò Moyses tendens in Egyptum, suas, quas in monte Horeb ducebat, oves reliquit. Quid tunc? an eas amittit? minime: sed potius sexcenta Israhelitarum millia exceptis parvulis, & mulieribus, ei in oves factæ; & scilicet eorum dux, & pastor. Sylveira in Luc. 4. c. 22. q. 2.

Noli timere filii mi: pauperem quidem vitam gerimus; sed multa bona habebimus. Tob. 4. 23. Quam multa? omnia. Suspice cælum, & numera stellas, si potes: sic erit patrimonium tuum. Habebimus, inquis, quando hæc erunt? non habemus, sed habebimus; interim contabesco. Futurum est; sed est omnino futurum: modicum, & cælum patet. Verum animalis homo, quidquid ventrem non saginat, spernit. Habebimus, sed regnam est, sed cælum est, sed Deus est. Sed nota: *multa bona habebimus; si timuerimus Deum.* Audin? non fat est inopia, ut bonis potiare: timor Domini coronam fabricat. Oliva 1. Strom. §. *volite timere pusillus grex* Luc. 12. 32.

Non confundas me ab expectatione mea. Pl. 118. 116. Scio, quia non confundes me ab expectatione mea: quia jam *substantia mea apud te est.* Pleniore tamen fiducia, quia tutiore conscientia, Dominum expectare potest; cui dicere datum est, substantia possessunculæ meæ, ô Domine, apud te est: quia facultates meas, vel tibi erogando, vel pro te contemnendo, in cælis thesaurizavi; & ad pedes tuos omnia mea deposui, sciens; quia potens es depositum meum non modò servare, sed etiam in centuplum restituere, & vitam æternam adjicere. Quam beati vos pauperes spiritu! qui juxta consilium admirabilis consiliarii, thesaurizastis vobis thesauros in cælo: ne, si in terra thesauri vestri remaneret, corda quæ vestra pariter putrescerent. *Ubi enim thesaurus tuus &c.* Matth. 6. 21. Guarricus Abb. f. de Adv. D.

Ficus non florebit. Habac. 3. 17. *ego autem in Domino gaudeo.* v. 18. *Super excelsa meo deducet me victor.* v. 19. Ecce tibi media in iactura omnium bonorum: nihil dolet justus homo, nullam tristitia vocem promittit; quin gaudet, ob gaudia ventura. S. Cyprianus ad Demetriadem: vinea licet fallat, & olea decipiat, & herbis siccitate morientibus æstuans corpus arefeat; quid hoc ad Christianos? quid ad Dei servos, quos paradus invitat; quos gratia omnis, & copia regni cælestis ex.

expectat? exultant semper in Domino, & mala, atque adversa, Mundi fortiter tolerant; dum bona & prospera futura prospectant. Baeza t. 3. l. 14. c. 3. §. 19.

Ex Novo.

Illi autem statim relictis retibus, & patre, secuti sunt eum. Matth. 4. 22. Nota: quantum recipiat homo pro illis, quae Dei causa dimittit. Petrus navem reliquit; cujus locò tabernacula totius Ecclesiae suscepit. Joannes Patrem; pro quo S. Mariam in matrem accepit. Sylveira hic.

Martha ergo, ut audivit, quia Iesus venit, occurrit illi. Joan. 11. 20. Dimittit Martha domum, dimittit sororem, dimittit consanguineos, & amicos; & inconstulata venit, cum superiorem potentia, & virtute, advenire cognovit. Dimittuntur bona, cum meliora proveniunt: & inapro summis, terrena pro coelestibus, humana pro divinis dimittere, ratio sic sana docet. Sim. Cas. l. 5. c. 15.

Divitibus hujus saeculi praecepe. 1. Tim. 6. 17. S. August. l. 25. de temp. praecepe &c. quia sunt divites alterius saeculi pauperes.

Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis. Hebr. 10. 34. Vellera sine latione tolluntur ab ovibus: sic temporalia à viris sanctis sine omni dolore, & tristitia, tolluntur. Hugo Card. in Gen. 38.

Petrus unam domum reliquerat: nunc ubique terrarum erecta sunt templa in nomine ejus; quae sunt clarae domus. Theophylactus apud Did. Nis. Vit. Abr. l. 6. c. 7.

Ex Patribus.

Venenum charitatis est spes adipiscendarum, aut detinendarum rerum temporalium: augmentum ejus, est cupiditatis diminutio; perfectio verò, nulla cupiditas. S. August. quaest. l. 83. q. 36.

Non est ille tibi ablatum, qui dedit; quamvis tibi ablatum fuerit, quod dedit. S. August. in Ps. 32.

Libenter terrena amittamus, coelestia tueamur. Totum licet saeculum pereat; dum patientiam lucri faciam. Tertull. l. de pat.

Melius est, rem familiarem minui, quam salutem animae perire. Melius est amittere, quod, velimus, nolimus, aliquando perituum est. Melius est, sponte dimittere; quam id amittere, pro quo omnia dimittenda sunt. S. Hieron. ep. 11.

Dei amator mercator est optimus, foenerator egregius: dat, quod non potest retinere; ut recipiat, quod non potest amittere: dat modicum, ut recipiat centuplum: dat temporalem possessionem, ut recipiat hereditatem aeternam. S. Laur. Just. de charit. c. 11.

Polyanth. Sacra. Tom. II.

§. XVI.

Paupertatem ferendi alia motiva, & solatia.

Ex Veteri, & Novo.

Si fuerit Deus mecum, & dederit mihi panem. Gen. 28. 20. Antè Christi adventum major Dei cultus pendebat ex aristis: si spica creverat, litabant alacrius. Bacchus, & Ceres, victimis militabant: quot manipuli, tot hostiae Melchisedech Jacob est: non cum defert; sed cum recipit panem, & vinum. Ut pietatem intelligas Israelis, noli templum subire: horreum adi; quantum tritici illatum in domum, tantum thuris adolebitur in altari. At quam sanctiora Christianorum vota in Ecclesia sunt; quorum vox non injucunda, nec rara est: si non dederit mihi panem, erit mihi Dominus in Deum. Franciscus Benedictus, Ignatius, Deum amabant ardentius, cum arctum panem, & aquam brevem, illis Dominus dabat. Oliva l. 3. Strom. §. si fuerit Deus mecum &c.

Tribui autem Levi non dedit possessionem. Jos. 13. 14. Videtur; quòd Moyses erga Levitas parum affectus. Sed favit, dum non dedit; reliquis abundè largitus: quia saepe beneficium, non dare. S. Gregor. in Glossa: misericordiam Dei hereditas terrena nobis sublata est, ut hereditatem quaeramus in caelis. Naxera in Jos. 13. §. 9.

Factus est Dominus refugium pauperi. Ps. 9. 10. Pauper ille Dei est, qui, terrenam cupiditate vacuus, caelesti desiderat largitate distescere. Cassiodorus hic.

Si quaesieris eam, quasi pecuniam; & sicut thesauros effoderis illam. Prov. 2. 4. Qui thesauros effodit, eicit rudus terrestre; facit in altum foveam, donec thesauros attingat. Et qui thesauros sapientiae invenire desiderat, quidquid sibi terrenum inesse deprehenderit, expurget. V. Beda hic.

Angelus Domini excussit flammam ignis &c. Dan. 3. 49. Qui paupertatem cum gratiarum actione suscipiunt, pueris illis tribus similes sunt; qui in ignis fornacem regis imperio missi fuerunt. Sicut pueros illos non incendit ignis, sed dissolvit eorum vincula; sic eorum, qui in paupertate gratias agunt, solvuntur vincula peccatorum, & non incenduntur avaritiae igne. Nam & illis in igne ros illapsus est; & pauperibus divinae consolationis ros immittitur. S. Laurent. Just. de paupertate c. 3.

Et uni dedit quinque talenta. Matth. 25. 15. S. Gregor. hom. 9. in Evang. nullus est, qui veraciter dicat, talentum minimè accepit; non est, unde rationes ponere cogat: talenti enim nomine cuilibet pauperi etiam hoc ipsum reputabitur, quòd vel minimum accepit.

Ex Patribus, & aliis.

Nescit natura divites, quae omnes pauperes generat: neque enim cum vestimentis nascimur;

mur; nec cum auro, argentoque, generamur. Nudos fudit in lucem; egentes cibo, amictu, poculo: nudos recipit terra, quos edidit. S. Ambros. de Nabuthe Israelita c. 1.

Quid moeres propter pauperiem? quid ploras, cum festum diem habeas? quid lamentaris, cum solemnia ducas? sollemnis quippe dies, & festus, prudenti pauperies est, S. Chrysof. hom. 81. in c. 26. Matth.

Paupertas securum praesidium, aereis muris, & expugnata, difficile. S. Chrysof. hom. 13. in Act.

Magna possessio paupertas sapienter illam ferentibus; thesaurus, qui nequeat auferri; baculus firmissimus, inculpabilis possessio, diversorium ab insidijs tutum. Validum telum inopia, & inexpugnabile habitaculum, & turris inconcussa. Id. hom. 2. ad pop. Antioch.

§. XVII.

*Paupertas spiritus.**Beati pauperes spiritu.*

Matth. 5. 3.

Quaeres: cur Christus inter beatitudines Evangelicas primum locum assignat paupertati spiritus? R. quia haec paupertas evertit cupiditatem, quae est *radix omnis peccati*: 1. Tim. 6. 10. Cornelius hic.

Miseri superbi omnes tumido spiritu: beati autem pauperes spiritu; quia sic mendicando grandem eleemosynam, id est, regnum caelorum de manu Regis consequentur. S. Rupertus in Volumine quatuor Evangeliorum. c. 18.

Hoc est: ita securi pauperes esse debent de gaudio, caeli, sicut sunt de una re, quam terrent manibus. S. Edmundus Speculo Ecclesiae c. 16.

Pauperes spiritu sunt, qui reliquerunt omnia, quae habebant voluntate spirituali; & huiusmodi inopia gaudent, timentes sibi non a penuria; sed a sufficientia rerum. Cajetanus hic.

Sancti Patres veteris testamenti pauperes fuerunt terrenis. Non enim afficiebantur possessis; sed alto animo nihili pendebant ea; ut, etiam omnibus perditis, mansissent inconturbati. Et haec est paupertas spiritus. Abel pauper fuit spiritu: & quamquam sibi aliqua animalia vendicasset; Deo tamen potiora offerebat. Magnus in paupertate Noe; qui per centum annos semetipsum, & suas impensas, dedit in ratem. Abraham locuples fuit, & exiit pauper spiritu, & peregrinus in terra: qui si libens ad sacrificium obtulit, pro quo paterna hereditas congregatur; ipsam hereditatem jubente Domino libentius obtulisset. S. Bernardinus tr. de octo beat. f. 2.

Humilitas.

Quaeris a me, quid esse pauperem spiritu? Omnis inflatus non est pauper spiritu. Ergo humilis pauper est spiritu, August. l. 14. in festo omnium SS.

Ego autem mendicus sum, egenus, & pauper. Pl. 39. 18. Ego autem non dives, quia non superbus. S. August. hic.

Primum beatitudinem Hieron. August. Chrysof. exponunt de humilitate, ut sit sensus: *beati pauperes spiritu*, id est, humiles corde; qui non inflantur, non magna de se ipsis praesumunt; nec aliquid boni sibi, sed totum Deo attribuunt. Dionys. Carthus. hic.

Recte hic intelliguntur pauperes spiritu, humiles, & timentes Deum; id est, non habentes inflatum Spiritum S. August. l. de ferm. D.

De eadem paupertate spiritus varia.

Divitia si affluant, nolite cor apponere. Pl. 61. 11. Pauper est, qui, quantumvis affluant divitiae, cor non apponit. Dives, qui divitijs nudus conatibus anxius quaerit. In pannoso, & attrito, habitu pestifera aliquando gliscit cupiditas; in purpura degit non semel vera paupertas. Seneca lib. de paupert. quemadmodum nihil refert, utrum aegrum in lecto ligneo, aut in aureo, colloces: quocumque illum transuleris, morbum suum secum affert; sic nihil refert, utrum aeger animus in divitijs, vel in paupertate, sit. Naxera in Jos. 15. §. 27.

Relictis retibus &c. Matth. 4. 20. Quid uterque dimisit piscator, qui pene nihil habuit. Sed pensare debemus; quia multum reliquit, qui desideria habendi recusavit. V. Beda hic. Nihil spiritu pauper cum dolore animi perdit; quia nihil cum amore possedit. Odium ad auferentem, tristitiam de amissis, sustinere non potest: quia quod non diligebat; imò quod animò contemnebat, amisit. Sim. Cals. l. 10. c. 4.

Ecce nos reliquimus omnia. Matth. 19. 27. Omnia reliquerunt. Omnia sanè dixerim: non tantum possessiones, sed etiam cupiditates; & eas maxime: plus enim concupiscentia Mundi, quam substantia, nocet. S. Bernardus s. de verbis Petri. Age, qui relinquere universa disponis; te quoque inter relinquenda numerare memento. Id. ib.

Non relinquit omnia, qui retinuit vel seipsum; imò verò nihil prodest sine seipso caetera reliquisse: quandoquidem nullum aliud onus est gravius homini, quam homo ipse. Quis enim tyrannus crudelior, quae savior potestas homini, quam hominis ipsius voluntas? sola diligitur, cum sola digna sit odio, principium iniquitatis, mortis infusio, destructio magna virtutum. B. Petr. Dam. l. de S. Benedicto.

Plures re pauperes; divites vero, ac avari sunt animò, quos non egestas servat, sed animus condemnat. Non enim qui omnino eget, beatus; sed qui omnibus orbis thesauris Dei mandatum praefert, ac potius existimat. S. Basilus in Pl. 33.

Quid eis prodest, qui facultates suas abjiciunt, qui voluntates proprias non relinquunt? cum sit longè praestantius voluntatibus proprijs abrenuntiare, quam rebus. S. Prosper l. 2. de Sacerdotibus c. 17.

§ XVIII

§. XVIII.

Paupertas ex usu, bona, vel mala.

Mendicitatem, & divitias, nē dederis mihi. Prov. 30. 8. S. Bernardus l. 6. de jejunio: nimirum quia utrobique laqueus, utrobique periculum. Id. l. 2. variis: nē forte aut divitiarum attollerent in superbiam; aut paupertas deiceret in impatientiam.

Propter inopiam multi deliquerunt; & qui quarit locupletari, avertit oculum

suum. Eccl. 27. 1. q. d. duo sunt scopuli in mari hujus sæculi; ad quorum alterutrum communiter impingunt homines, ruuntque in peccatum: scilicet opes, & inopia. Quare id prævidens Salomon obsecrat: *mendicitatem.* &c. Cornelius hic.

Utilius terrena opulencia tenetur humiliter, quam superbè relinquitur. S. August. ep. 34.

Parum tibi sit, renuntiare divitijs, nisi renuntietur & vitijs: quia minus periculosum est, esse divitem Christi, quam pauperem Antichristi. Petr. Blef. ep. 137.

TITULUS XII. PAX.

§. I.

In Genere.

Factus est in pace locus ejus. Pl. 75. 3. S. Hieron. hic: Locus Dei non est nisi in anima, quæ pacem habet. Quæ ergo anima non habet pacem, sciat, se non esse locum Dei. Ubi pax, ibi Deus: nam *in pace factus* &c. Petrus Blef. ep. 138.

Qui possit fines tuos pacem. Pl. 147. 3. Tunc enim erit perfecta pax, quando voluntas requiescet in plenitudine omnis boni. S. Thom. Aq. in c. 1. ep. ad Rom. lect. 4.

Revertere, revertere Sulamitis. Cant. 6. 12. Sulamitis idem est, quod Jerusalem, ait Pagninus, & Vatablus. Jerusalem enim olim dicta est *Salem*. Unde Sulamitis idem est, quod *civis Salem*, sive Jerusalem. Hoc est mysticè: *habitas in pace.* Cornelius hic.

In terra pax hominibus. Luc. 2. 14. Nominè pacis intelligitur omne bonum: ac proinde pax hominibus, hoc est, omnis felicitas, omne bonum hominibus. Sylveira hic.

Plus togæ læsere Rempublicam, quam lorice. Tercull. l. de pallio circa finem.

Pax corporis, est ordinata temperatura partium: pax animæ irrationalis, ordinata requies appetitionum: pax animæ rationalis, ordinata cognitionis, actionisque consensus: pax corporis, & animæ, ordinata vita, & salutis animantis: pax hominis mortalis, & Dei immortalis, ordinata in fide sub æterna lege obedientia. Pax hominum, ordinata concordia. Pax cœlestis civitatis, ordinatissima, & concordissima societas fruendi Deo, & invicem in Deo. Pax omnium rerum, tranquillitas ordinis. S. August. de Civ. l. 19. c. 13.

Custodienda præ omnibus virtutibus pax est: quoniam Deus semper in pace est. S. Chrysol. l. 53.

Inter omnia bona creata, tam temporalia, quam æterna, pax obtinet principatum; sine quâ nulla potest esse vita beata; & quâ perfectè habitâ beata est anima. Unde Augustinus

Polyanth. Sacr. Tom. II.

ait: quod nil est aliud vita beata, quam pax æterna. Tantum est bonum pacis, quod eam Dominus commendaverit nascendo, prædicando, moriendo, & resurgendo. S. Bonaventura l. 32.

§. II.

Pax cum Deo.

Num. I.

Bellum cum vitijs.

Nomen eorum delesti in æternum, & in sæculum sæculi. Pl. 9. 6. Non transit ad summam pacem, ubi summum silentium est, nisi qui magnò strepitu prius cum suis vitijs beligeraverit. S. August. hic.

Factus est in pace locus ejus. Pl. 75. 3. Ille pacem probatur habere cum Deo, qui adversum mandata ejus contrariâ voluntate non litigat; qui sequitur jussu Dominantis; & ad omne præceptum divinum, suum flectit arbitrium. Pax enim vera est, concordiam habere cum moribus, & litigare cum vitijs. Cassiodorus hic.

Justitia, & pax, osculata sunt. Pl. 84. 11. S. August. hic: fac justitiam, & habebis pacem; ut osculentur se justitia, & pax. Si non amaveris justitiam, pacem non habebis. - Si amicam pacis non amaveris, non te amabit ipsa pax, nec veniet ad te. Tu quare litigas cum justitia? ecce justitia dicit tibi: nē fureris; & non audis: nē adultereris; & non vis audire: inimicus es amicæ meæ. Dicit tibi pax: quid me queris? amica sum justitiæ: quemcunque invenero inimicum amicæ meæ, non ad illum accedo. Sylveira in Apoc. 1. 4.

Pax vobis. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus, & latus. Joan. 20. 20. Cum Discipulos pace donat, ostendit eis vulnera belli, quibus acquisita pax. q. d. pacem offero vobis; sed quæ effusò sanguine, diris vulneribus comparata. Monemur: Spiritus nostri pacem bellorum incommodis acquirendam. Escobar t. 3. Coll. Chr. l. 9. sect. 1. obs. 6.